

oneri officii omitti. Et quamvis Suarius, Valentia, alique velint restituendos esse fructus omnes juxta officia, quæ quisque omisit, usu tamen receptum est contrarium; cum non tantum fructus percipiuntur pro onere recitandi, sed pro aliis quoque Ecclesiæ oneribus. Quod intelligendum non est de simplici Beneficiario, ut ait Lessius, sed de iis, qui præter horas Canonicas alia habent onera. Jam vero habens tenue Beneficium censetur in jure quasi non esset Beneficiarius. Tenue autem dico Beneficium cum Viva illud, qui non præstat saltem tertiam partem victus. De obligatione Canonicorum, qui choro non assistunt, vel non assistunt, ut par est, consule Auctorem in fide hujus capituli.

CAPUT VII.

De circumstantiis restitutionis.

67. *Quæst. 1.* Quando facienda est restitutio? R. quam primum fieri commode possit, hoc est, sine gravi incommodo, quod quis pateretur in re sua propria ultra debitum. Hinc solutionem differre in contractibus ultra prænitum tempus, aut in mutuo, si tempus sit conventum, est grave peccatum; nisi dilatio brevis sit, aut consentiente domino. Quod si tempus non sit conventum, non peccat graviter debitor, non restituens, donec a creditore moneatur; nisi iste ob timorem, oblivionem, aut impotentiam monere desinat; aut obligarit se

debitor cum juramento, cum hoc ex se quam primum obliget. Monent tamen De-Lugo, & alii, non esse damnandum de culpa gravi, qui differt solvere debitum ex contractu sine gravi damno creditoris, etiam petentis, quia tunc ei non videtur fieri gravis injuria. Quid si debitor habeat justam causam differendi? eritne obstrictus ad compensandum debitori damnum, ortum ex dilatione? Affirmo, si debitum ortum sit ex delicto, quia prima acceptio fuit injusta causa damni; nego vero, si debitum non fuit ex culpa ob contrariam rationem.

68. *Quæst. 2.* Ubi, & quibus sumptibus restitutio est facienda? R. 1. debita ex contractu eo loco solvi debent, de quo inter partes sive expresse, sive tacite conventum est. Bonæ fidei possessor satisfacit, si restituat in loco, ubi rem possidet, citra contractum. Possessor autem malæ fidei, v. g. fur debet suis sumptibus ad eum locum rem deferre, ubi alter habiturus fuisset, si non fuisset ablata; deductis tamen expensis, quas alter eam servando, vel deferendo, debuisset facere. R. 2. si fur rem transferendo plus deberet impendere, quam res valet; affirmant adhuc multi, rem esse domino reddendam; sed negant alii, quia plerumque præsumi potest mens esse domini, ut restituatur pauperibus, vel in usus pios expendatur.

69. *Quæst. 3.* An Confessarius debeat Pœnitentem absolvere, antequam restituat? R. Habenda sunt præ oculis, quæ recte monuit S. Th. de Villanova fer. 6. post. 4. Dom. Quadrag. Prius er-

go vadat, & concubinam e domo pellat, pecuniam alienam restituat... & tunc ad Confessarium redeat, ut absolvatur. Experientia enim satis docet, debitores post absolutionem rarissime restituere, non secus ac concubinari non nisi ægre concubinas dimittunt. Unde ut plurimum danda non est absolutio, nisi post restitutionem; id tamen non tollit, quod si prudens Confessarius judicet, debitorem sincere paratum esse restituere, possit eum absolvere una, vel altera vice, antequam restituat. Nota, esse multos, qui velint a debitore tot peccata distincta committi, quot intersunt restituendi occasiones, easque sponte prætermittit. Alii communissime docent unum, sed gravius esse peccatum; licet diu in eadem voluntate non restituendi perseveret.

70. *Quæst. 4.* Cui facienda est restitutio, si res extet? R. 1. si rem alterius debitor apud se habet, quocumque eam habet nomine, sive ex furto, sive ex deposito, sive inventione, cet. prius restitui debet domino, vel eo deficiente, pauperibus. R. 2. si res empta ad creditum, pretio non soluto, adhuc extet, nec venditor ab emptore pignus, vel fidejussionem, aut fidem de pretio acceperit; ipse debet præferri aliis creditoribus, quia tunc adhuc retinet rei dominium, ex l. *quo vendidi* 19. ff. de *contr. empt.* Quod si venditor accepit pignus, vel fidei jussionem, nullum habet jus prælationis, cum tunc de pretio sit securus. Dubitatur autem, an tale jus habet venditor, qui rem tradidit, & de pretio fidem tantum accepit?

Probabilior est sententia negans cum Navarro, Covarr. Layman, & aliis, quia cum dominium rei translatum sit, venditori solum remanet creditum personale erga emptorem; nulloque jure habetur, quod res venditori hypothecata maneat, donec ei pretium persolvatur; alias emptor non posset pro suo libito de illa disponere, quod nemo dixerit.

71. *Quæst. 5.* Quonam ordine res alienæ sunt restituendæ? R. 1. pecunia furtiva, immixta propriæ restituenda est ante alia debita, quia totus cumulus obligatus est domino pecuniæ ablata. 2. si restitutio facienda sit ratione injustæ actionis, prius restitui debent certa, hoc est, quorum domini cognoscuntur, quam incerta. Quamvis non sit improbable, quod volunt aliqui, debitorem, si non possit utraque restituere, debere pro rata restituere dominis certis, & pauperibus, qui succedunt in locum incerti creditoris. 3. prius restituenda sunt debita licite contracta, quam usuræ; quia in his dominus non fuit omnino invitus. 4. debita ex titulo oneroso præferenda sunt debitis ex titulo gratuito, v. g. promissione; quia hæc tacitam includit conditionem, nisi quid obstat. Hinc debita defuncti solvenda sunt ante omnia legata etiam pia. Utrum vero debita ex delicto sint solvenda ante debita ex contractu oneroso? dubitant AA. Ego crediderim, solvenda esse pro rata, nisi adsit res in specie, vel hypothecata; cum nullo jure præscriptum sit, quodnam ex his sit alteri præferendum.

72. 5. In reliquis debitis servandum est jus

particulare uniuscujusque loci; quod si nullum sit, standum est juri communi, juxta quod primo solvenda sunt debita, ad quæ bona debitorum expresse fuerunt obligata. Deinde dos uxoris extrahenda est, quæ ex Layman præfertur omnibus creditis, hypothecam tacitam habentibus. Post hæc, ad quæ bona debitorum sunt tacite hypothecata; tum deposita; perdita in potestate debitorum; deinde eorum, qui privilegio fruuntur, tandem aliorum creditorum, post quos omnes solvendæ sunt usuræ, & post istas bona incerta. Notandum, e bonis debitoris defuncti imprimis solvendas esse impensas funeris, & quæ ad confectionem repertorii, & apertionem testamenti pertinent, itemque ad medicos, & medicamenta persolvenda.

73. Quando autem multi sunt ejusdem rationis creditores, antiquitas temporis servanda est inter eos. Idem dico de hypothecariis, sive hypotheca expressa sit, sive tacita; quamquam inter hypothecarios reales præferendi sint hi creditores, qui pecuniam dederunt ad rem emendam, v. g. domum, vel agrum, vel ad reficiendum, aut custodiendum, aut colendum, ex lege. 3. ff. Qui potiores. Quoad personales autem duplex est sententia probabilis: 1. tenet his omnibus satisfaciendum esse pro rata; quia illis non sunt obligata debitoris bona, sed persona ipsius, quæ est omnibus æque obnoxia. Secunda mihi certe probabilior docet, præferendos esse anteriores; licet enim jus Civile videatur proiri sententiæ favere; secunda est conformior juri Canonico, & fundatur in jure na-

turali ex reg. 45. juris in 6. qui prior est tempore, potior est jure. Et licet bona debitoris non sint directe obligata creditori anteriore, indirecte tamen sunt illi obnoxia, nec debet in iis præjudicari a subsequenti creditore. Ita S. Anton. cui suffragantur D. Th., Suarez, aliique.

74. Demum notandum est 1. solventem posteriori debitori, præterito priori, qui hypothecam habeat, vel privilegium, peccare, & damnum ejus debere compensare. 2. Si ex pluribus creditoribus aliquis exigat in judicio, post latam sententiam, tenetur debitor ei solvere, ipseque potest rem exactam retinere; quia lex dat creditori hoc privilegium propter reverentiam publici judicii. Si vero quis petat & obtineat extra judicium, aliqui cum Lugo negant posse ab eo rem exactam retineri in præjudicium creditoris prioris: attamen Salmant. Lessius, Cabassutius, & alii recte dicunt, probabilius esse, posse ab eo retineri ex l. pupillus, & ex l. si non §. 6. 1. ff. de bon. aut Jud. ubi expresse traditur: statuendum, ne alterius aut negligentia, aut cupiditas huic, qui diligens fuerit, noceat. Quod si utroque instante tibi gratificans tutor solvit, æquam est, aut prius eandem portionem mihi quæri, aut communicandum, quod accepisti. 3. si e multis creditoribus alicui solutum sit ex integro, nec debitor possit aliis satisfacere; secundum multos ille potest recuperatum retinere, quia solutum non revocatur ex lege qui autem, aliisque legibus; saltem si bona fide solutionem accepit, ut vult De-Lugo. Alii vero cum Azor, Bonac., Tur-

riano dicunt, ipsum teneri aliis pro rata satisfacere; quia ex jure naturali nullum habet jus, ut ex integro ei solvatur; nec leges alii volunt, nisi quod solutum non repetatur in foro externo.

CAPUT VIII.

De causis a restitutione excusantibus.

75. *Quæst. 1.* Quænam excusent ab obligatione restituendi ex parte debitoris? R. generatim loquendo ea omnia, quæ faciunt, ut creditor rationabiliter debeat esse contentus, etsi re vera contentus non sit. Hinc. 1. excusaris ob impotentiam, physicam, vel moralem: physice impotens est, qui nullo pacto potest restituere; moraliter autem, qui non potest sine gravi suo damno, vel incommodo. Unde non obligantur restituere, qui nequeunt absque periculo salutis animæ suæ, vel suorum; vel absque discrimine vitæ, vel gravi famæ suæ detrimento. Pariter excusantur, qui si restituant, vivere non possunt secundum decenciam sui status, si juste sit ille acquisitus; secus si injuste. Debent tamen hi sensim restituere, quoad fieri possit sine gravi status jactura. Quod si culpa sua in illa sint angustias delapsi, v. g. luxuriis, ludis, superfluitate victus, aut vestitus, sibi imputare debent, quod sine status sui amissione non possint debitis satisfacere.

76. Quod si creditor ex dilatione æquale damnum subire debeat, ut potius, quam is,

sustinere debes cum ejus conditio sit melior. Itaque in æquali necessitate sive gravi, sive extrema præferendus creditor innocens debitori, sive debitum ortum sit ex delicto, sive ex contractu, secundum communem opinionem. In extrema vero necessitate non tenetur debitor restituere ut alienæ etiam gravi necessitate subveniat. Excusantur 2. a restitutione in foro conscientiæ, qui damnum alteri intulerunt absque gravi culpa theologica, nisi aliud pacti sint aut exinde facti sint diiores. Ita fert doctrina communis, licet in foro externo solum attendatur culpa juridica, quæ sæpe stat sine peccato. 3. in debitis incertis excusantur a restituendo qui bullam habent *compositionis*. 4. qui non habentes, unde solvant, bona sua cedunt creditoribus retentis sibi instrumentis artis, & quæ ad sustentationem sunt necessaria. Quod si tamen redeant ad pinguorem fortunam, tenentur adhuc restituere; imo obligati manent ad laborandum, ut solvant id quod illis supersit post congruam sustentationem. Quæ cessio locum non habet in bonis ex delicto provenientius, ut communiter docent DD. cum Layman.

77. *Quæst. 2.* Quænam excusent a restitutione ex parte creditoris? R. 1. Si is, cui debet restitui, semel remisit, sive tacite, sive expresse; modo remissio omnino libera, non metu, fraude, vel mendacio extorta. Unde licet tibi rem alienam retinere ex præsumpta voluntate domini, nempe quod si peteres, libenter ille donaret, ut tenet sententiâ satis communis; quia non censetur dominus graviter invitus,

saltem quod substantiam. Nam ut ait S. Anton. 2. p. t. 1. t. 1. loquens de obligatione restituendi, quam habet is, qui alienum accipit invito domino, *si credit dominum permissurum, & subest justa causa credendi, non tenetur.* Confirmatur ex lege 46. ff. 7. de furtis. *Recte dictum est, qui putavit domini voluntate rem attingere, non esse furem. Quid enim dolo fecit, qui putat dominum consensurum fuisse?* Id quod est conforme doctrinæ D. Th. a. 15. q. 2. art. 5. q. 4. qui ait, non esse proprietarium Religiosum, qui tollat aliquid, *ponens spem in ratihabitio- ne Prælati*; hæc autem semper est de futuro. Notandum tamen, non excusari a veniali eum, qui rem alienam accipit, vel retinet, si dominum putet fore quoad modum invitum.

78. Excusatur 2. a restitutione in foro conscientia qui solvit ei, cui debebat ejus creditor. 3. qui creditori compensavit per aliquid, pecunia æstinabile, perinde ac debitum, v. g. per procuracionem officii, non gratis factam. An autem debitor aliquid donans suo creditori, immemor debiti, excusetur a restitutione, disputatur a TT. Affirmant multi valde probabiliter, quia in quavis gratuita donatione quisque præsumitur velle prius satisfacere justitiæ obligationi; & quia oblivio debiti facit ut donatio fuerit omnino involuntaria; nam qui donat censetur hanc habere saltem implicitam voluntatem, *nisi teneat ex alio titulo potiore.* Negant tamen alii communius, quia non potest quis una tantum actione duas habere voluntates sibi contrarias, donandi scilicet, & sol-

vendi. Et licet donatio gratuita ex errore proveniat; errore non invalidat gratuitum contractum, nisi in motivo dandi consistat, ut patet mille exemplis. Utraque sententia est valde probabilis, & graves pro se numerat DD. Hoc tamen certum est, donatorem a restitutione liberum esse, si obligatio restituendi oriatur a præcepto Ecclesiastico, v. g. ob omissionem Divini Officii, residentia, cet. Atque idem dicit Roncaglia de eo, qui elemosynas erogat immemor incerti debiti. Pariter quando probabiliter præsumitur creditor libenter remissurus, si rem cognitam haberet. Item si obligatio aliunde quam ex justitia oriatur, ut si voti, aut pœnitentiæ Sacramentalis immemor opus debitum præstares, quia tunc rei præceptæ satisfaceres. Denique ex parte creditoris excusatur a restitutione debitor, intelligens ex restitutione grave damnum afferendum esse creditori; ut si pecunia sciat abusurum ad luxuriam, vel ad ebrietatem, vel ad grave damnum alteri inferendum. Hæc tamen erit ratio differendi solutionem usque ad opportunum tempus, non tamen omnino omittendi. *on est*

79. *Quest. 3.* An differens ex juxta causâ restitutionem, teneatur creditori reddere, vel compensare damnum, quod illi evenit ex dilatione? Negant aliqui probabiliter, eo quod illud non oriatur ex prima acceptione, quæ fuit injusta, sed ex retentione, quæ justa est. Probabilius autem ait Viva, nihil equidem reddendum esse, si debitum sit ex contractu; secus vero si sit ex delicto; quia tunc prima ablatio

certe iniqua fuit prima origo, & causa damni.

80. *Quest. 4.* An, si fur mittat domino rem ablatam per Confessarium, aut virum alium fidelem, & iste sibi forte retineat, teneatur iterum restituere? Negant Soto, Castropalao, & alii, quibus mordicus adhæret Potestas, si fur id faciat ex pacto creditoris, sive tacito, sive explicito. Sed oppositum docet communis sententia, quia debitor obligatur reddere dominum indemnem efficaciter, & cum effectu. Et qui ex delicto debet alteri, tenetur ad omne damnum etiam fortuitum, quod domino evenit ex injusta acceptione: ergo quomodocumque res pereat, domino debet damnum resarciri. Quamvis autem dominus censeatur consentire, ut fur per alium restituat, non censeatur remittere jus suum, donec debitum re vera persolvatur. V. Lugo de Just. d. 21. Sec. I.

81. *Quest. 5.* Quando Reus morte plectitur, an hæres ejus teneatur restituere damna, quæ ille per crimen intulit? Affirmandum est, nisi condonare præsumantur ii, quibus illatum est damnum; præsumuntur autem condonare, quoties non repetunt; nisi res ablata adhuc extaret, vel ut ait Lugo, damnum esset valde grave. Nota, in dubio, an res sit aliena, possessori bonæ fidei nullam esse obligationem restituendi; secus vero malæ fidei possessori; ille tamen tenetur inquirere, ut viri prudentes, & meticulosi solent. Qui dubitat, bona fide rem possidens, an factus sit ditior; post diligentiam prudentem adhibitam, nihil tenetur restituere; atque idem dico de eo, qui dubitat, an

sit cooperatus alieno damnum, cum possessio stet pro libertate. Qui autem rem injuste accepit, dubitet autem, an sit materia gravis restituenda, an levis; debet gravem restituere, ne dominum exponat periculo grave detrimentum sustinendi.

TRACTATUS VII

DE CONTRACTIBUS.

CAPUT I.

De contractibus in universum.

1. *Quest. 1.* Quid, & quotuplex est contractus? R. Est pactum, sive consensus duorum, vel plurium quo scienter, libere, & legitime sese vicissim obligant, vel saltem una pars se alteri acceptanti obligat, quocumque signo externo id fiat. Ex. g. in mutuo ex una parte mutuans se obligat non repetere mutuum ante certum tempus; ex altera mutuarius sese obligat, tunc illud reddere, & sic de aliis contractibus. In promissione autem, vel donatione absoluta una pars obligatur tantum post alterius acceptationem.

2. Notandum hic, alios esse contractus *nominatos* ut emptio, mutuum, aliisque, proprium habentes nomen; alios *innominatos*, qui propria non habent nomina, & ad quatuor species referuntur ex l. *naturalis*, ff. *de præscrip. Verb.*